

Peter Hinckelmann Joachim Fischer

De Papismo Disputatio Anasceuastica Quinta. Continens praecipuos Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in Loco De Peccato Originali Et Concupiscentia Reliqua Post Baptismum

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1607

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756802806>

Druck Freier  Zugang



P. Hirkelmann.

R. N. theol. 1607. 8.

- Constantia
- ① Joh. Caselius, de deo pino et vero 1607
 - ② Joach. Hammingius, de communicatione majestatis 1607
 - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
 - ④ Heid. Kirchovicius, de arbitrio hominis 1607
 - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
 - ⑥ Henr. Textorius, de justificatione 1607
 - ⑦ Joach. Jordenius, de bonis operibus 1608
 - ⑧ Joan. Lutetius, de sacramentis 1608
 - ⑨ Joach. Hammingius, de sacramento coenae 1608
 - ⑩ Heid. Kirchovicius, de sac. confirmationis 1608
 - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
 - ⑫ Paul. Brinner, de votis monachales 1608
 - ⑬ Nic. Fridricus, de adiaphoris 1608
 - ⑭ Henr. Hammer, de oratione 1608
 - ⑮ Pet. Hoff, de indulgentiis 1608
 - ⑯ Joh. Albinus, de morte 1608

A. c.

DE PAPISMO
DISPUTATIO ANASCEUASTICA
QVINTA.

*Continens præcipuos Romane Synagoga erro-
res refutatos, quos ea fovet in Loco*

De,

PECCATO ORI-
GINALI ET CON-
CUPISCENTIA RELIQUA
POST BAPTISMUM.

*Reverende facultatis Theologica in Academia
Rostochiensis consensu:*

Moderatore & Doctore S.S. Spiritu:
Sub Præsidio

M. PETRI HINKELMANNI
Verbi Divini ministri:

ad privatam ^{conferentiam} propositam

IOACHIMO FISCHERO
Wusterhuf. March.

Horis locog. consuetis 16. Cal. Octob.

ROSTOCHII,

Litteris Reulnerianis An. 1607.

- C₅
- 1
 - 2
 - 3
 - 4
 - 5
 - 6
 - 7
 - 8
 - 9
 - 10
 - 11
 - 12
 - 13
 - 14
 - 15
 - 16





DISPUTATIO V.

DE PECCATO ORIGINALI ET CONCVPISCENTIA.

Respondente

IOACHIMO FISCHERO Wust. March.

ωελεόμενα.

I.

Cum summus finis ac aeterna salus hominis sit, ut verum Deum, ad cuius imaginem principio fuit conditus, & Ioh. 17. v. 3. beneficia filij ipsius Iesu Christi in restituendâ imagine Dei per lapsum primorum parentum amissâ, agnoscamus: ac in superioribus aliquot συζητήματα, qui circa veram veri Dei, & personam filij Dei agnitionem deprehenduntur errores, pleriq; duce Spiritu sancto, ex S. Scriptura & promtuario profligati sint; Iam quae circa beneficia filij Dei, Salvatoris nostri, in restitutione imaginis Dei per Protoplastos amissa, omnibus nobis praestitâ, sese offerunt erronea opiniones, eas deinceps refellendas eodem Spiritu sancto duce aggrediemur.

II. Quia verò beneficia ista intelligere homo non potest, nisi semetipsum prius cognoverit, in quem locum, in quas misérias post amissam imaginem Dei pervenerit, summopere necessaria est cognitio doctrinae de Peccato. Itcirco rectissime ac convenientissime, priusquam ulterius progrediamur, considerationi de Deo, dissertationem de Peccato Originali subjungimus: utpote in quâ solâ, qualis sit homo ex suâ naturâ, depingitur, & vivis coloribus monstratur, unde se tanquam in speculo cognoscere possit: tum etiam causa miseriarum & calamitatum innumerabilium totius generis humani exponitur.

A 2

Quem-

III. *Quemadmodum autem infensissimus Dei & humani generis hostis contra Deum ejusq; eternum filium nihil intentatum reliquit, ut saluberrimas doctrinas in precedentibus ^{ou} ⁱⁿ ^{theor} ^{et} ^{fact} ^{is} ^{suis} ^{fi} ^{gmentis} ^{conspurc} ^{aret} [&] ^{obscu} ^{raret}: Ita nunc ad hominem etiam se convertens, multo majori conamine omnem suum impetum adversus eum dirigit: ac ne ad sui cognitionem perveniat, celestem hanc doctrinam de Peccato, divinitus nobis patefactam, vel ab ipsis fundamentis extenuare, vel tenebrosos deliramentis obscurare, vel Philosophicis speculationibus depravare mille modis tentat.*

IV. *Ut igitur veram doctrinam de Peccato Originis sartam rectam defendentes, pro instituto nostro ad succidendos & refellendos hic crassiores saltem errores, expeditiores cum adversariorum ductore Diabolo, ejusq; ordinibus Pontificijs congregari ac confligere valeamus: eligemus nobis spiritum sanctum ducem, & assumemus univer-*

sam armaturam DEI, accingemus nos gladio spiritus, qui est verbum DEI, atq; sic de duobus capitibus dimicabimus:

- I. *De Peccato Originali, quid, quale, quantum illud sit.*
- II. *De Concupiscentia in renatis post Baptismum reliqua.*

CAPUT PRIMUM.
De Peccato Originali.
Primus Error.

Peccatum Originis quid sit, in Ecclesia non certo constat, nec expressa Peccati Originalis ratio tradi potest: Opinari cuilibet liberum est.

REFUTATIO.

I. *Errore hoc pudendam imperitiam & insignem temeritatem suam produunt, alias rerum Theologicarum peritissimos ac divina veritatis patronos constantissimos se somniantes Pontificij, dum, quid de doctrinam Peccati Originalis in Scripturis sanctis perfectissime fundatam & manifeste perspicuam, sit statuendum, ex S. scriptura non dixerunt, atq; ideo a veritatis normam decedentes, rationis iudicium sequuntur:*

Andradius lib. 3. de Pec. orig. Alb. Pighius in 1. Controv. de Pec. orig.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

sequuntur : ut etiam, cum turpe habeatur, Jurisconsultum sine lege loqui, factum sit illis sanctissimis Theologis (si Dijs placet) jam valde religiosum, sine Scripturâ ex Philosophicis speculationibus de locis doctrinâ Christiana liberè opinari.

II. Nos verò in Scholâ Spiritus sancti melius edocti, qui quid cum de alijs, tum de hac etiam Peccati Originalis doctrinâ, sit sentiendum aut docendum, ad SS. Scriptura metas & cancellos id omne revocandum esse censemus: Ex cujus promptuario definitionem Peccati originalis adversarijs nostris, hac in parte rudi pecori, depromimus talem: Peccatum Originis est in genere humano cum reatus propter lapsum primorum parentum, tum misera corruptio sive defectus & inclinatio in corpore & animâ alijsq; viribus, tam superioribus, quàm inferioribus hominis: pugnans cum lege DEI, per Adami lapsum introducta, & ex eodem in omnes homines, qui ex semine carnali nascuntur, propagata: promerens iram DEI & aeternam condemnationem, nisi facta fuerit remissio propter filium DEI mediatorem.

III. Hac definitio ut est perfectissima, cum edux omnia, quæ in doctrinâ hac consideranda sunt, complectens, & ad normam SS. Scriptura constructa: Sic postquam paucis eam, in hoc errore contra Pontificios S. literarû fundamentis demonstratam probaverimus, deinceps quoq; reliquos errores, qui circa eandem in hoc capite occurrent, secundum ejus tenorem examinandos & refellendos adducemus.

IV. Vocatur autem Originale, cum maximè respectu Adami, à quo tanquam omnium origine in omnes posteros hereditario jure, quemadmodum & originalis justitia, cui hoc peccatum successit, eo pacto propaganda fuisset, derivatur, & tanquam contagium serpit: tum etiam respectu uniuscujusq; parentum. Omne enim simile cum procreet sibi simile in naturâ & specie, qualem naturam habet generans, talè & generato communicabit, ut homo origine carnalis, carnales etiâ liberos procreet, peccator peccatores, injustus injustos, & sic consequenter, quomodo videre est ex Gen. 5. v. 3, Job. 14. v. 4, Job. 3 v. 6. &c.

V. Reatus est ex societate transgressionis & inobedientia primorum

(a Gen. 3, 7. morum parentum in quibus tanquam primâ origine & radice existen-
(b Ephes. 4. tes, cum & in ipsis peccavimus, morimur, damnamur, Rom. 5. v. 12,
v. 24. 18, & 19, 1. Cor. 15, v. 22, Ephes. 2. v. 3. &c.

(c Rom. 7. VI. Corruptio statim subsequuta peccatum Adami, a quia iusticia
v. 13. & 19. & sanctitati veritatis, in quâ conditus homo principio fuit b, succes-
(d ibid. v. 23. sit, notatur partim negativè c; partim positivè d.
(e Esa. 29. signis est defectus sive carentia iusticia originalis, & naturalis
v. 8, ψ. 14. ad vitia ad faciendum ea, quæ lege Dei præcipiuntur e. Hæc est prava
v. 3, Rom. inclinatio sive Concupiscentia, quâ homo naturaliter fertur ad fa-
3, v. 10. & ciendum ea, quæ cum lege & voluntate Dei pugnant f.
23, 1. Cor. 2. Cor.
v. 14, 2. Cor.
3. v. 5, VII. Corruptionem istam totius naturæ esse, nec tantum
Apoc. 3, 17. inferiores sensus, sed ipsam etiam mentem esse depravatam, gra-
(f Gen. 6, 5. phicè tradit Apostolus. Rom. 3. v. 11. Et patet ex hominis restauratio-
Ier. 17. v. 9. ne, quæ non tantum in inferioribus sensibus; sed in ipsâ etiam men-
Rom. 8. v. 7, te reformandâ occupata est g: tum evidens etiam est ex collatione di-
Eph. 2. v. 3. vina imaginis, cuius sedes cum potissimum in mente & voluntate
(g Eph. 4, 17. fuerit, Corruptio etiam, quæ ipsi successit, ibi habitat necesse est.

(h Exod. 20. VIII. Pugnare cum lege Dei, monstrat Decalogus h, qui per-
Deut. 5. fectionem & integritatem requirit, omnemq; defectum & concu-
(i 1. Ioh. 3, 4. piscentiam damnat: idq; liquet ex definitione Peccati i ἡ ἀπειθεῖα ἐστὶν
ἢ ἀνομία: Et ex multis alijs Scripturæ locis, in quibus severissime Deus
sanctitatem à nobis exigit, Lev. 19. v. 2, c. 20. v. 7, c. 21. v. 7,
Num. 15. v. 40, 1. Thess. 4. v. 3. 1. Pet. 1. v. 15. In omnes homi-
nes propagari patet ex Job. 14, v. 4, Rom. 5. v. 12, 1. Cor. 15. v. 22,
Eph. 2. v. 3. solo Christo excepto 2. Cor. 5. v. 21, Hebr. 7. v. 26. Pro-
merere iram Dei & æternam condemnationem, ostendit
comminatio pœna Decalogo addita, & alia Scripturæ dicta, Exod. 32.
v. 33, Deut. 27. v. 26, Ioh. 3. v. 36, Rom. 1. v. 18, c. 7. v. 24, Ephes.
2. v. 3. Nisi facta fuerit remissio per Christum, Rom. 7. v. 25,
c. 8. v. 1.

Secundus Error.

Alienum est Peccatum Originis, & nihil aliud, nisi illa
prima

prima Adamí inobedientia, quâ præceptum de ligno scientiæ non gustando violavit. Et hæc actualis transgressio Adæ, reatu tantum & pænâ transmissa & propagata est ad posteros, sine vitio aliquo inhærente.

REFUTATIO.

I. De duobus potissimum in hoc errore agitur: I. Quomodo Peccatum consideretur in Adamo: deinde, quomodo derivatum in nobis definiendum sit. Quod ad primum attinet, Peccatum in Adamo commissum duplicem habet respectum: Primò consideratur in Personâ Adamí, respectu actus, quo ipse pro se peccatum commisit: secundò consideratur in naturâ Adamí, respectu effectus, quo ipse horrendam corruptionem in naturam suam induxit.

II. Priori modo, nimirum respectu actus inobedientiæ à personâ commisse, alienum quidem est Peccatum originis, quia nos non sumus primi ejus autores; Sed tamen quia omnes in lumbis Adamí existentes in eo & per eum peccavimus, cum ipse peccavit: omnes etiam, quotquot per carnalem propagationem ex eo descendimus, reatum ab ipsius transgressionis actu contraximus, utpote quem commisit, non ut erat singularis Persona; sed ut personam totius generis humani gerebat: Posteriori modo, nempe respectu effectus, in naturâ Adamí, unius cujusq; hominis dicitur proprium. Quemadmodum enim Adam horrendam corruptionem induxit natura: Sic in omnes homines quotquot naturæ ejus sumus participes idem effectus derivatur & propagatur, videlicet defectus justitiæ originalis, in creatione Protoplastis insita, & per primum peccatum amissa: & consequens ex illo defectu horrenda corruptio & inclinatio ad omnis generis flagitia, quam Concupiscentiam appellamus.

III. Ad secundum igitur quod attinet, ex Pontificijs Pighius & Catharinus in posito errore contendunt, solum actum inobedientiæ Adamí sine pænâ & culpâ in nos derivari tantummodò per imputationem, ita, ut nullus sit relictus effectus inhærens in naturâ nostrâ: Alij, ut Bellarminus & Pontificij omnes carentiam justitiæ origi-

Alb. Pighius in i. controv. de pecc. orig. Amb. Catharinus in opusc. de lapsu hominis & pecc. orig. cap. 6.

lib. 3. de statu peccati, cap. 16.

nalis

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

nalis præter reatum quidam agnoscunt; alteram tamen partem, videlicet Concupiscentiam, ad peccatum originis referendam esse negant. Nos vero contra, & reatum & defectum iustitiæ originalis, & concupiscentiam de ratione peccati originalis in nobis esse demonstramus 1. testimonijs Scripturæ 2. rationibus.

IV. 3. Pro reatu, quod illum omnes ex transgressione Adami contraxerimus, sunt I. testimonia Scripturæ, Rom: 5. v. 12. Sicut per unum hominem, &c. v. 14. Regnavit mors ab Adam &c. v. 16. 17. & 18. Per unius delictum propagatum est malum in omnes ad condemnationem. v. 19; Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi. 1. Cor. 15. v. 22: Sicut in Adamo omnes moriuntur, &c.

V. II. Rationes: I. Omnes homines sunt reatui obnoxij in eo, in quo peccaverunt: Omnes homines, qui ex Adamo descenderunt per carnalem propagationem, peccaverunt in Adamo, ut superius demonstratum est: Ergo in eo sunt reatui obnoxij. 2. Peccante capite alicujus corporis Physici aut Politici, reatum contrahit universum corpus: Adam & Eva fuerunt caput universi generis humani, nos omnes velut corpus: Ergo illis Peccantibus nos reatum contraximus.

VI. 3. Per quod sumus constituti peccatores, ejus sumus rei: Per inobedientiam primorum parentum sumus constituti Peccatores. Rom. 5. v. 19. Ergo per eandem constituti sumus rei. 4. Eadem mortis causa est in posteris, quæ in primis parentibus: At in his causa fuit reatus inobedientia: Ergo etiam eadem causa est in illis. Minor patet ex Genes. 2. & 3. cap. ex comminatione pœnæ & ejus executione.

VII. 5. Quomodo justificamur in Christo, sic in Adamo condemnemur: At in illo per imputationem iustitiæ ipsius justificamur: Ergo in hoc per imputationem sive reatum culpæ ipsius condemnemur. Hac facit testimonium Augustini: Certè, inquit, manifestum est, alia esse propria cuius peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. Et: Traxit ergo homo reatum, quia unus erat

lib. 1. de peccatorum meritis & remissione in Ep. 23. ad Bonifac.

erat in illo & cum illo, à quo traxit, quando, quod traxit admissum est.

VIII. Pro defectu sive carentiâ justitiæ originalis faciunt: 1. dicta Scriptura: ψ : 14. v. 3. & 53. v. 4. Nō est requirens Deum. & Esa. 64. v. 6: Omnes justitiæ nostræ &c. Rom: 3. v. 23: Omnes carent gloriâ Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 2. Cor. 3. v. 6. Non idonei sumus ad cogitandum quicquam ex nobis, Rom. 7. v. 8. Perficere bonum non invenio, Jac. 3. v. 2. In multis offendimus omnes:

IX. II. Rationes: I. Quod ab ortu nobis inest, pugnans cum lege DEI, illud est peccatum originale: Carentia justitiæ originalis inest nobis ab ortu, quod & experientia, & adducta testimonia totaq; legis sententia, & omnes sancti suis exemplis ostendunt: Est igitur Peccatum originale. 2. Si defectus actuum, hoc est, omissiones eorum, quæ lex requirit, sunt peccatum, etiam defectus potentiarum erunt peccata: Viraq; enim pugnat cum lege DEI: Sed verum prius: Ergo & posterius. Non sunt autem potentiarum defectus peccatum actuale, sed originale.

X. 3. Omne, quod reos facit nos ira DEI in ipso ortu nostri exordio, illud est peccatum originale: Defectus boni concreatei propter societatem culpæ Protoplastorum constituit nos reos ira DEI in ipso ortu nostri exordis. Ergo est peccatum originale. 4. Si Baptismus (a Gen. 6. 5. c. 8. v. 21, ψ : 51. v. 7. Job. 14. v. 4. Tit. 3. v. 5) præter regenerationem etiam est lavacrum renovationis, non in solo reatu, sed etiam in defectu peccatum originis consistit: At verum prius b. E. & posterius. Propositionis connexio patet ex fine & effectu Baptismi, qui est omni malo originali medicinam facere, sive regenerare hominem carnalem & corruptum.

XI. Pro Concupiscentiâ itidem militant I. testimonia ex divinis literis, Gen. 6. v. 5, c. 8. v. 21. Figmentum cogitationum cordis humani tantummodo malum est omni die ab adolescentiâ, Rom. 7. v. 7: Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi Lex diceret: Non concupisces, c. 8. v. 7. $\tau\omicron$ $\rho\epsilon\gamma\omicron\nu\mu\alpha$, intellectus carnis est inimicitia adversus

B

adversus

adversus Deum, Eph. 4. v. 17. & 18: Ne ambulate, &c. Rom. 7. v. 8: Scio, quod non habitat in me, hoc est, in carne meâ bonum, v. 23. Video aliam legem, &c.

XII. II. Rationes: I. Omnis inimicitia adversus Deum ejusq; legem, est peccatum: Figmentum sive inclinationes cordis non regenerati sunt inimicitia adversus Deum ejusq; legem: Ergo peccatum. Non autem actuale, originale igitur. 2. Fons omnis peccati actualis est Peccatum originale: Concupiscentia prava est fons omnis actualis peccati c. E. est peccatum originale.

(c Rom. 7. v. 8, 17. & 20.

XIII. 3. Omne peccatum, sive aberratio morum est vel originale vel actuale: Concupiscentia est peccatum morum, idq; quia pertinet ad potentiarum perfectiones, quas lex non minus requirit, quam actualem; non potest esse actuale: E. est peccatum originale. 4. Si Concupiscentia, quæ nobis ab ortu inhaeret, non est Peccatum originale, sed naturalis qualitas, uti volunt Pontificij nostri, tum non erit mala, neq; à Diabolo, ac proinde non excitabit peccatum, nec jubebimur eam fugere: At est mala d, est à Diabolo e, excitat peccata actualia f, jubemur eam fugere g, E. est peccatum originale.

Andradus lib. 3. de pecc. orig.

(d Rom. 7.

v. 8, 20. & 21.

(e Ioh. 8. 44.

(f Rom. 7.

v. 8, 17. & 20.

(g Eph. 4. 17.

2. Pet. 1. 4.

in 1. 2. q. 1.

82. a. 1.

(b De Nupt.

& concupisc.

lib. 1.

cap. 25.

XIV. III. Patres: Augustinus b affirmat, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Tum & utramq; hanc partem corruptionis, defectum justiciæ originalis, & pravam Concupiscentiam quidam ex Scholasticis etiam Doctoribus agnoverunt, ut Thomas, cum inquit: Sicut agritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur equalitas temperamenti & sanitas: & aliquid positivum, ut ipsos humores inordinatè dispositos: Ita Peccatum originale habet privationem originalis justiciæ, & cum hac inordinatam dispositionem partium animæ: Unde non est pura privatio; sed corruptus quidam habitus.

XV. Sic Gerson: Vitium originale, inquit, est impotentia ad bonum, & potentia ad malum. Bonaventura item: Cum quaeritur: Quid sit originale Peccatum? Rectè respondetur, inquit, quod sit Concupiscentia immoderata: Rectè etiam respondetur, quod sit debita justiciæ carentia: Et in unâ istarum responsionum includitur alterum.

alterum, Et Hago, qui dicit: Originale peccatum esse in mente ignorantiam boni, & in carne Concupiscentiam mali, & supplicium de utroq.

Tertius Error.

In parvulo recens nato nihil invenitur, quod verè & propriè Peccati rationem habeat.

REFUTATIO.

- I. Egregiè hic Pelagianizant Pontificij nostri, dum parvulos à Peccato originali omnino eximere conantur, idq; hoc potissimum fundamento: quia peccatum esse non possit sine lege, cujus sit transgressio; Parvuli autem, quoniam rationis usu destituti sunt, lege obligati non possint: item illud, quod prorsus vitare non possumus, quod necessario & inevitabiliter inest nobis, nec à nobis, sed ab alio nobis inest, lege interdicti non possit.
- II. Nos autem dicimus, infantes propensionem ad peccatum, & à natura cupiditatum simul cum naturâ induere, & tantam esse totius naturæ corruptionem originis peccato contractam, ut nihil à tali naturâ sine renovatione Spiritus possit edi aut effici non perversum & contaminatum.
- III. Nec proinde tamen, licet affirmemus naturam non tantum in aliquâ parte, sed in omnibus partibus & viribus esse depravatam; totam naturam substantiâ suâ ex corruptione immutatam adstruimus, ne quemadmodum Pelagiani Augustinum, sic & Pontificij nos Manichæismo prægravent: Quin discernendum potius asserimus esse inter naturam ipsam, quæ per se bona, & à Deo est, & inter vitium, quo natura per peccatum Adæ depravata est. Sicut Augustinus inquit: Omnia bona, quæ natura habet in formatione, vitâ, sensibus, mente, &c. à summo Deo creatore suo habet; Vitium verò, quod ista naturalia dona contenebrat & infirmat, ex originali peccato contractum est.
- IV. Quibus præmissis, refellamus errorem, I. ex Scripturis sacris; Gen. 5. v. 3. cap. 6. v. 5. c. 8. v. 21. Job. 14. v. 4. c. 15. v. 14. 15. & 16,

Ruardus
Tapperus
in explicat.
art. 2. de
pec. orig.
Pighius &
Catharinus
ut in præ-
ced. errore.

de natura
& gratia
cap. 1.

↓: 51. v. 7, Prov: 20. v. 9, Esa: 48. v. 8, Jer: 17. v. 9, Ioh: 1. v. 29, cap: 3. v. 6. & 36, Rom: 3. v. 10. 11. & seq, c: 5. v. 12. c: 6. v. 3. 4. & 6. c: 7. v. 17, 20, & 23. c: 8. v. 7. 1, Cor: 15. v. 22, 2. Cor. 5. v. 14. & 15, Gal: 3. v. 22, Ephes: 2. v. 3, Col: 2. v. 11,

V. II. *Rationibus*: 1. *Qui ex immundo semine conceptus, in peccato à matre calefactus, ab utero transgressor est, fingitq; malum corde suo, & quidem omni die, eum peccato originali contaminatum esse dubium non est: At prius de nobis omnibus est verum, ut ex dictis Scriptura in precedenti thesi allegatis patet: Ergo & posterius.* 2. *Qualem naturam habet generans, talem generati ab ipso accipiunt: At Adam ejusq; Posterius omnes habent naturam peccato corruptam: Ergo eorum quoq; liberi talem accipiunt.*

(a 2. Cor. 5. v. 14. i. Tim. 2. 6. b Ioh. 3. 5. c Gen. 17. v. 14. d Ioh. 3. 5.) VI. 3. *Pro quibus Christus est mortuus, ij peccato sunt polluti: At Christus est pro omnibus hominibus mortuus a: Ergo omnes sunt peccato polluti, & proinde etiam infantes . 4. Quorum natiuitas mundatione & abluitione opus habet, eos immundos nasci constat: Mundi enim abluitione opus non habent b, At in V. T. omnes masculi circumcissione c: in novo autem omnes infantes citra discrimen, Baptismi abluitione opus habent quotquot in regnum Dei volunt ingredi d. Ergo habent peccatum.*

(c Rom. 6. v. 23.) VII. 5. *Vbi fructus proveniunt, ibi arborem esse necesse est: nisi fructum sine arbore quis absurde statuat: In nobis omnibus proveniunt fructus pessimi, nempe actualia peccata: Ergo in nobis arborem, nimis- rum peccatum originale, esse necesse est. 6. Qui mortis juri sunt subjecti, ij peccato sunt infecti: Stipendium enim peccati mors est c. At omnes sumus mortis juri subjecti, etiam infantes, ut experientia testatur, & ex Apostoli testimonio Rom. 5. v. 12, liquet . E. infantes habent peccatum,*

Quartus Error.

Nihil habet proprie rationem Peccati, nisi sit voluntarium. a Ac proinde Peccatum originis quia in eo reperitur minima ratio voluntarij, minimum est Peccatum & minus minimo peccato veniali,

REFU.

Bellarm.
lib. 1. de
statu pec.
cap. 1.

REFUTATIO.

I. Duplex est hujus Erroris membrum: 1. Nullam esse Peccatum, nisi sit voluntarium, hoc est à sciente & volente fiat. 2. Peccatum originis esse minimum Peccatum. Prius sumunt Pontificij ex definitione Peccati ab Augustino datâ, quod sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam: cui assuunt, quod sibi idem Augustinus, Vsg, adeo, inquit, Peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit Peccatum, si non sit voluntarium. Ex quâ definitione, quam volunt Esavita tam originali, quam actuali Peccato convenire, alterum Erroris membrum deducunt, quod nimirum, quod majorem habeat rationem voluntarij Peccatum aliquod, eò majus sit ipsum quoq, Peccatum: ac quia in Peccato originis minima ratio voluntarij reperitur (utpote, quod non nostra persona propria voluntate: sed alienâ, Adâ scilicet, seu communis originis commissum sit) ideo etiam id ipsum rectè censeatur minimum omnium Peccatorum.

II. Nos utrumq, membrum refutamus: Et quod ad prius attinet, dicimus I. id ad forum civile & civilia delicta si referatur, valere quodammodo: Ibi enim voluntas & propositum distinguunt hominum facta: & facta involuntaria vel pro Peccatis non habentur, vel pariter cum voluntarijs non puniuntur; Verùm coram judicio DEI non nostra, sed solius DEI voluntas & propositum distinguit peccata.

III. Deinde de definitione Augustini, eiq, annexâ ratione voluntarij manifestissimum est, eam admodum valde esse coactam, & tam procul petitam, ut, quæ debeat etiam Peccato originali convenire, solius actualis Peccati eam esse, meridiana luce clarius sit, cum ex ipsius Augustini instituto, tum ipsorum etiam Scholasticorum scriptorum calculo & suffragio. Nam alibi Augustinus inquit: Frustrâ putas, ideo in parvulis nullum esse delictum, quia sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest: Hæc enim rectè dicuntur de proprio uniuscujusq, peccato, non de originali Peccati contagio, quod tamen & ipsum à primi hominis malâ voluntate sumsit exordium &c.

IV. Et quanquam concedit Augustinus, & nos cum ipso; Pecca-

(a) Riuardus
Tapperus
in explic:
art. 2. de
Pec. orig.
Andradus
lib. 3. de
Pec. orig.
lib. 22. con-
tra Faustū
Manich.
e. 27.
in lib. de
vera relig.
cap. 14.

Contra Iu-
lian. lib. 3
c. 5.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

sum originis habere aliquam rationem voluntarij, quia, quemadmodum natura nostra, sic & voluntates nostrae in Adamo originaliter fuerunt; non tamen proinde sequitur; Ergo nullum est peccatum, nisi sit voluntarium: siquidem hoc modo nulla in renatis essens peccata, qua maximè sanè contra eorum voluntatem ipsis inhaerere patet ex Rom. 7. v. 19. &c. & tamen expresse Peccatum esse dicit Apostolus, ibid. v. 8. &c. Tum quoque non modo infantium labe hereditaria, quae in ipsis est praeter voluntatem, non erit peccatum; sed etiam magna pars cogitationum, dictorum, factorum contra legem DEI (secundum Esaviticam definitiōem) in vere pijs non erit peccatum, quia citra & contra eorum voluntatem contingunt, adeoque nullam merentur poenam: cum tantum de peccato decedat, quantum de voluntario: atque ita Christus verè pijs non erit necessarius, & meritum ejus in nihilum redigetur; Quod constituere planè à Deo vultū dicitur est.

V. Neque etiam sequitur: Quodlibet peccatum pro ratione voluntarij esse vel majus vel minus. Nam Scriptura sacra simpliciter dicit Peccatum esse avipular, hoc est, quodcumque legi divinae non est conforme, sed ei repugnat: sive sit defectus, sive depravatio in natura rationali, sive inclinatio, sive actio repugnans legi DEI. Quia enim *justum est* lex divina certissima & immota regula ac norma est, iusticiae ac voluntatis DEI: sequitur, quicquid huic norma seu regula est conforme, peccatum esse.

VI. Nec eadem Scriptura ita subtiliter quaerit rationem voluntarij in Peccato originali; David enim simpliciter dicit: se in peccatis editum & conceptum esse: Unde liquet, ipsam massam embryonis, in primo ardore conceptionis, cum primum inciperet uteri calore foveri, jam fuisse contaminatam, quae contaminatio juxta Davidis confessionem habebat veram rationem peccati, cum nondum formata essent vel mentis, vel voluntatis, vel cordis organa.

VII. Ad posterius membrum quod attinet, sanè deploranda et detestanda est Esavitica factionis perversitas & impietas, quae tam odiosè beneficio ac merito Christi detrahunt, dum originis peccatum

tum

rum tam sceleratè extenuant: Nos morbos nostros humiliter agnoscentes, ut magnitudinem beneficiorum Christi experiamur, asserimus, Peccatum originale nequaquam esse minimum; sed suo modo, ac respectu subjecti & effectus juxta Scriptura sententiam in oculis Dei omnium maximum.

VIII. Primò namq; illud est fons & scaturigo, ex qua omnis generis peccata interna & externa, contra primam & secundam Decalogi tabulam, promanant, quemadmodum Salvator ^b inquit: Ex corde exeunt cogitationes male, cades, adulteria, supra, furta, avaritia, falsa testimonia, fraudes, dolus, convicia, superbia, stulticia, &c. (b Matth. 15. v. 19. Marci 7. v. 21.)

IX. Deinde respectu Subjecti atrocissimum est Peccatum originis, quia totum veterem hominem in corpore & animâ, ac membris & potentijs singulis, tam superioribus, quàm inferioribus occupavit & sibi subiecit. De Corpore ejusq; membris res est manifesta ex Ioh. 3. v. 6. Rom: 7. v. 23. & 25. Iac: 4. v. 1 c: 3. v. 5. 1. Ioh: 2. v. 16. Rom. 3. v. 13. & 15. De facultatibus inferioribus nemo dubitat, neq; Pontificij.

X. Quòd superioribus etiam viribus inhereat Peccatum originis, ex sacris literis demonstratur, quia Mens cæca & ignara rerum divinarum & tenebra passim in Scripturâ appellatur, Esa: 9. v. 2. c. 60. v. 2. Ioh: 1. v. 5. Eph. 5. v. 8. Act: 26. v. 18. Luc: 1. v. 79, & 1. Cor: 2. v. 14. Voluntas dicitur reluctari DEO ^c; imò mortua ^d, libera justiciæ ^e; serva autem peccatis, & inimicitia adversus Deum ^g. Cor dicitur aversum à DEO ^h, obstinatum, crudele, incircumcisum, resipiscere nesciens. Et breviter ac eruditè adwaxia mentis, voluntatis & cordis describit Apostolus 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo ⁱ & ^j $\delta\epsilon\gamma\epsilon\lambda\alpha\iota$, & ^k $\delta\upsilon\omega\lambda\alpha\iota \nu\acute{\omega}\nu\alpha\iota$ ea, qua sunt Spiritus: Ratio est, quia veritèra spiritualia ei desunt.

XI. Postremò respectu Effectus peccatum illud maximum est, quia propter illud I. privatus est homo 1. luce in mente: unde horribilis cecitas, aberratio à DEO, & multipliciter impingens in deliberationibus, (c Gen. 6. v. 5, c. 8. v. 21. Rom. 7. v. 15. & 19. (d Eph. 2. 1. Col. 2. v. 13. (e Rom. 6. v. 20. (f Ioh. 8. 34. (g Rom. 8. 7. (h Gen. 6. 5. (i Ier. 17. v. 9, c. 9. v. 26. Act. 7. v. 51. Rom. 2. v. 9.)

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

tionibus, consilijs & actionibus omnibus, sequitur. 2. rectitudine in voluntate: unde secuta est aversio repugnans DEO & voluntati ipsius in lege expressa^k. 3. congruentiâ cordis & omnium membrorum: unde secuta est contumacia cordis adversus Deum, & prava cupiditates iudicio mentis repugnantes. II. Totius naturæ humana depravatio & corruptio, quæ est Concupiscentia, introducta est in omnes homines, & omnium malorum fons & causa existit.

XII. III. Totum genus humanum reatum contraxit: unde omnes homines 1. horrendos pavores & dolores conscientia, qui regulariter peccatum comitantur, sentiunt. 2. Expositi sunt Tyrannidi Diaboli

horribiliter grassantis in genus humanum^l, & impellentis homines ad multiplicia tetra & abominanda scelera, ut velut caci & amentes ruant ex uno scelere in aliud, donec corporis & anima exitum sibi attrahant, ut testantur exempla Caini^m. Sarlisⁿ. Iuda^o. 3. obnoxij sunt morti^p. 4. sentiunt iram Dei, qui est ignis consumens, Heb: 12. v. 29. Ac licet reliqua quoq; animantia sunt morti obnoxia; tamē est hoc sine irâ Dei, cujus intollerabile onus solus homo cum Diabolo sustinere cogitur, ψ : 2. v. 12. ψ : 38. v. 2. & 4. Jer: 10. v. 24. Ioh. 3. v. 36 Rom: 1. v. 18. Ephes. 2. v. 3. & 5. meruerunt aternam damnationem q: nisi remissio fiat propter Christum mediatorem, Rom: 7. v. 25. c: 8. v. 1. & c.

CAPUT SECUNDUM.

De Concupiscentia in renatis post Baptismum reliqua.

Primus Error.

Concupiscentia, qualis remanet post Baptismum in regeneratis, ex se vel ex naturâ sua nullum est peccatum. Primi Concupiscentiæ motus, quibus non præbetur assensus, non sunt peccatum.

REFUTATIO.

I. Corruptionis positivæ sive Concupiscentiæ tres sunt gradus. 1. est ipse fons originalis, qui est instar Cloacæ, putridos exhalantis vapores

vapores . 2. Motus illius fontis primi, qui oboriuntur in nobis etiam in vitis, & reprimuntur à nobis per Spiritum. 3. Actus plenus & consummatus Peccati, quando frena peccatis, cum pleno voluntatis assensu, laxantur. Postremum gradum quia cognoscunt Pontificij verè esse peccatum; de prioribus duobus error est intelligendus.

II. Ad refutationem autem erroris notetur, quòd Peccatum duobus modis consideretur. 1. Quatenus pugnat cum lege Dei, & adversatur voluntati divina. 2. Quatenus facit homines reos coram DEO, & damnat eos perpetuò. Priori significatu, Concupiscentia post Baptismum ex se & naturâ suâ verè ac propriè est peccatum. Quicquid enim pugnat cum lege Dei, ex se & suâ naturâ, & voce legis damnatur, id verè & propriè est peccatum^a: At Concupiscentia prava, qualis est etiam in renatis, suâ naturâ pugnat cum lege Dei^b: Ergo verè ac propriè est peccatum.

(a 1. Ioh. 3.

v. 4.

(b Rom. 6.

v. 12, c. 7.

v. 7. Exo.

20. v. 17.

Matth. 5.

v. 28.

1. Ioh. 3. v. 15.

Iac. 1. v. 15.

III. S. Paulus sanè in 6. 7. & 8. cap: ad Romanos, ubi ex professo tractat doctrinam de discrimine peccati regnantis, mortalis & venialis, Concupiscentia, qua in renatis reliqua est, etiam quando non regnat, ad minimum quaterdecies tribuit appellationem peccati. Quod ipsum & alia scriptura dicta comprobant, ut: Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21, v. 19. v. 13, v. 51. v. 12, Ier. 17. v. 9, Gal. 5. v. 17, Ephes. 4. v. 23, Col. 3. v. 5, Hebr. 12. v. 1, ubi vocatur peccatum *Concupiscentia* seu renaciter inharens, 1. Ioh. 1. v. 8. si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos decipimus.

IV. Et quid absurdius dici posset, Concupiscentiam, ejusq; motus non esse peccatum, nisi accedat plenus voluntatis assensus? sic enim 1. infantes baptizati, & qui ad adultam aetatem non pervenerunt, non habebunt peccata, 2. Quando homo est sine peccatis actualibus, (actualia enim sunt, quando accedit consensus) ut est in somno, tunc juxta Pontificios non habebit peccata. 3. Quando Concupiscentia quiescit, aut etiam, quando movetur, si non rapiat secum voluntatis aliquem assensum, tunc adultus non habet peccatum: quod est contra manifestam Scripturam dicta superius allegata. Et in primis dictum Iohannis

C

1. Eph.

1. Epi. c. 1. v. 8, corrigendum fuisset, ut tantum de quibusdam renatis in hac vita, & non semper, sed aliquando tantum verum sit: Quomodo sequeretur, renatos nec semper in hac vita opus habere illa precatione: Dimitte nobis debita nostra, quia nec ipsa Concupiscentia, nec motus ejus, si non accedat consensus, sint peccata vel debita.

Tract. 41.
super Ioh.

V. Audiant autem Augustinum, si nullum peccatum habere velint, ejusque consilium sequantur, qui inquit: Si carne servis legi peccati, fac quod ait Apostolus: Non regnet peccatum in corpore vestro. Non ait Non sit; sed non regnet. Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur: non fiat, quod jubet.

Secundus Error.

Concil.
Trid. sess. 5.
decret. de
Pec. orig.

Concupiscentiam, quam aliquando Apostolus Peccatum appellat, Catholica Ecclesia nunquam intellexit Peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis Peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur. Si quis contrarium senserit, anathema sit.

REFUTATIO.

Alphonfus
Phil. 4.
Bellarm.
lib. 5. de
statu Pec-
cati cap. 10.

(a Rom. 7.
v. 18.
(b v. 21.
(c v. 18. & 19.
(d v. 19 & 23.
It. v. 14.

I. Hic Error quasi exceptio quadam affertur contra refutationem superioris Erroris, quo contendunt Pontificij, vocabulum Peccati in dictis Pauli cap. 6. 7. & 8. ad Romanos non propriè; sed vel naturam intelligendum esse, sicut Christus 2. Cor. 5. v. 21. peccatum appellatur: vel περὶ τὸν μῶσ, quod sit pœna & causa peccati.

II. Verum, quàm jejunum & nugatorium sit illud, loci evidentia evincit. Paulus enim optimus & certissimus verborum suorum interpretes, non nudam tantum appellationem Peccati tribuit Concupiscentia; sed multipliciter etiam describit, quid velit intelligi, vocabulo Peccati. Nam 1. vocat Concupiscentiam non bonum: a In carne meâ non habitat bonum. 2. vocat malum, b Volenti mihi bonum adjacet malum. 3. describit illud malum privativè, c Non, quod volo bonum, hoc facio: perficere non invenio. 4. Positivam ejus pravitatem describit d: Quod odi malum, hoc facio: Video aliam legem in mem-

an membris meis repugnantem legi mentis mea: Ego ipse, qui mente (e v. 8.
servio legi DEI, carne servio legi peccati. 5. dicit: Concupiscentiam (f Rom. 6.6.
pugnare cum illo precepto: Non concupisces. 6. docet, tale esse malum, (g ibid. c. 8.
quod sit crucifigendum^f, mortificandum^g, destruendum^h &c. 7. di- (h Eph. 4.
cit, illud malum impellere ad mortemⁱ, & à vitâ aternâ arcere^k. Mi- (v. 22.
ser ego homo (Paulus renatus exclamat) quis me liberabit de corpore (i Rom. 7.5.
mortis hujus! (k ibid. v. 24.

III. Eiusdem valoris est, quod suo commento pratendunt, Concupiscentiam per τὸν νόμον, hac tantum ratione dici peccatum, quod sit ex peccato & ad peccandum incitet, hoc est quod sit pena & causa peccati: Invertimus enim & dicimus: Imò, quia est corruptio integritatis & perfectionis virium & facultatum naturæ: item, quia incitat hominem ad malum actuale, eo ipso est peccatum proprie. Lex enim requirit perfectionem & integritatem velut ἐννοία, omnemq; defectum & corruptionem accusat tanquam ἀνομία; Et quod incitat hominem intrinsecus ad peccandum, illud actualis peccati fons est, & proinde peccatum originale.

IV. Et quamquam inflictâ quidem fuit hac contagio in pœnam illius primæ transgressionis divini mandati non Adamo solum; sed toti etiam illius posteritati: attamen, quia Paulus eam post Baptisma non tantum causam peccati; verum etiam non bonum, sed malum suâ naturâ cum lege Dei pugnans, nominat, verè etiam est peccatum, per se aternâ morte dignum^l, nisi propter Christum tegatur & non imputetur^m. (l Rom. 7.
v. 24,
(m ibid. v.
25. c. 8. v. 1.
contra Iu-
lian. lib. 5.
cap. 3.

V. Id quod Augustinus etiam disertè testatur, inquit: Sicut cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quâ cor superbum dignâ animadversione punitur, & causa peccati, cum aliquid cæci cordis errore committitur: Ita Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus, & peccatum est, quia illi inest inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientie, & causa peccati, defectione consentientis vel contagione nascentis. In hoc dicto

explicat Augustinus non solum, quod Concupiscentia sit peccatum; sed declarat etiam, quam habeat rationem peccati: quia, inquit, in est illi inobedientia contra dominatum mentis.

Tertius Error.

Si quis per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quæ in Baptismate confertur, asserit, non totum tolli id, quod veram & propriam rationem peccati habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.

Concil.
Trid. sess.
decret. de
pec. orig.

REFUTATIO.

I. *Fundamentum erroris est ex Esa: 53. v. 12: Ipse peccatum multorum tulit, Ioh. 1. v. 29: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Rom: 11. v. 27: Cum abstulero peccata eorum. Verum cum duo sint in Peccato consideranda 1. Vitium pugnans cum lege Dei & concupiscens adversus Spiritum, 2. Reatus, quo rei sumus ira Dei & aterna damnationis: Hunc (reatum) quidem per Baptismum ablui & adimi, gratis animis reverenter agnoscimus, quod Deus cum nolit amplius imputare, Rom: 8. v. 1. Nulla nunc damnatio in his, qui sunt in Christo Iesu; Sed interea morbum ac venenum ipsum nihilominus in nobis, quamdiu in hoc corpore mortali vivimus, remanere, tam firmo stat fundamento, ut, si maximè labijs suis grandiloquis illud conspurcare & labefectare totum Pontificiorum & Esavitaram Collegium conetur; nullo modo tamen infringere valeant, nisi forsam aliam voluerint fingere, normam iustitiæ & peccati in Ecclesiâ, quam est in mente divinâ, in lege Dei nobis patefactâ.*

II. *Quemadmodum id evidentissimè liquet ex Ps: 32. v. 1. & 2. ubi cum premium Psaltes dixisset: Beati, quorum remisse sunt iniquitates; statim subjungit: quorum recta sunt peccata: & ex multis alijs Scriptura locis, in quibus non penitus tolli; sed non imputari peccata dicuntur, & verbum (non imputare) per verba operiendi, condonandi, propitiandi, non recordandi, &c. exprimitur, ut: Ps: 85. v. 3. Jer. 31. v. 34, Hebr. 8. v. 12, cap. 10. v. 16. &c.*

III. *Has Phrases si velint adversarij nihil aliud significare, quam*
omnes

omnes peccati fibras penitus extirpare, ita, ut ne vestigium quidem
illum reliquum sit. novam planè Grammaticam ipsos fingere necesse est,
ut tegere, non imputare, remittere, &c. sit malum ipsum
extirpare. Quod si fecerint, ut facere quosdam non pudet, hoc pa-
cto, quando dicitur: Homo astutus tegit sententiam^a; Item, Nudum
operiet vestimento^b: Et, Operient se saccis^c, &c. juxta Pontificios
erit extirpare. Mirabilis sanè Metamorphosis.

(a Prov. 12.
v. 23.

(b Ezech.
18. v. 7.

(c Ionæ 3.8.
(d Rom. 6.

v. 12.
(c Rom. 7.

v. 18.
(f ibid. v. 23.

IV. Et quorsum, quæso, gravissima ista admonitio Pauli: d Ne re-
gnet Peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupidita-
tes ejus: si nullum peccatum in renatis reliquum? Undenam, sodes,
miserissima ejulatio Apostoli: e Ego (jam regeneratus) carnalis sum,
venditus sub peccatum &c. Ut tandem exclamet f: Miser ego homo,
quis me eripiet è corpore mortis hujus? Certe hoc pacto Paulum ine-
ptissimum facere conantur, qui tam muliebriter quiritetur, si remissio
peccati ipsas fibras peccati ita extirpet, ut ne vestigium ejus reli-
quum sit. Sed, quid rudissimi & impudentissimi a sinu Paulum in ter-
tio caelo edoctum informabunt?

V. Si Augustino credunt, audiant, quomodo ille se explicet: Non dici-
mus, inquit, per Baptismum sanctificari & fidelem fieri Concupiscen-
tiam, quæ mala est, & in regeneratis manet; sed dicimus reatum
ejus, non quo ipsa rea erat: (Neq; enim persona aliqua est) sed quo ho-
minem reum originaliter faciebat, remissum & vacuatum esse: ipsam
verò esse malam, ita, ut ab ea peste regenerati desiderent atq; optent
sanari. In hac sententiâ tantum abest, ut Augustinus Concupiscen-
tiam ipsam extirpari velit, ut ne quidem reatum ab ipsâ, sed ab ho-
mine tolli affirmet. Si igitur absurdissimi Pontificij ex temeritate
suâ ipsum Paulum & Augustinum anathematis fulmine feriunt; quid
mirum, si neq; nobis parcant?

contra Ju-
lian. lib. 6.
cap. 6.

Quartus Error.

In renatis Deus nihil odit, quia nihil damnationis est
in eis, qui conscripti sunt cum Christo per Baptisma in
mortem.

Concil.
Trid. sess. 5.
decret. de
pec. orig.

REFUTATIO.

I. Didicimus & nos ex S. Scripturâ, quòd credentes, qui in Christo Iesu sunt & manent, nihil faciat Deo exosos, nec damnet ipsos: Nihil enim damnationis est illis ^a. Sed an inde sequatur, quòd reliqua illa Concupiscentia in renatis sit res bona, pura, munda, sancta, placens Deo, & legi divina conformis, non arbitror Esauitarum quemquam audere affirmare. Et si maximè contentur, ut sunt impudentes & inepti, nunquam tamen vel unico testimonio Scripturæ probabunt: Nam Paulus, quemadmodum & Augustinus, sonora voce, multis verbis, & iustâ disputatione, reclamant, ut ex superioribus liquet.

II. Distinguendum itaq; est inter remissionem, qua perfecta est, de qua Paulus Rom. 8. v. 1. loquitur: & mortificationem, qua inchoata est, & quotidie crescere debet, de qua idem Paulus, Rom. 7. v. 14. & seq.

III. Quanquam enim certissimum est, gratiam Dei in Baptismo dare plenam & perfectam remissionem omnium peccatorum: Tamen, quia Baptismus non tantum est lavacrum regenerationis, sed etiam renovationis per Spiritum sanctum: renovatio ista, qua inchoatur in Baptismo, non est ita in hac vitâ perfecta & absoluta, ut in baptizatis seu renatis in hac vitâ post baptismum nihil planè reliquum sit de morbo originali. Clamitat enim Scriptura, experientia docet, & omnium piorum in hac vitâ tristissima querela testantur, multum vetustatis adhuc habere in carne renatorum, ut superius evictum est.

IV. Ac proinde loco defectus originalis largitur Deus renatis pie credentibus Spiritum sanctum, qui in ipsis nova dona, spirituales facultates & motus operatur; & incipit etiam naturam sanare, reliquias peccatorum expurgare, malo inhaerenti resistere, mortificare & crucifigere veterem hominem cum morbis, concupiscentijs & actionibus carnis ^e, expoliare & destruere corpus peccati ^d, exuere veterem hominem ^e, expurgare vetus fermentum ^f, &c.

V. Et Scriptura ubiq; vult, renatos orare & studere, ut dona renovationis

(a Rom. 8. v. 1.
6. c. 8. v. 14.
Gal 5. v. 24.
(d Col. 2. II.
(e Col. 3. 5.
(f 1. Cor. 5. 7.

onis crescant & augeantur: Quod verò opus est, ut crescat & geatur, nondum est perfectum & absolutum: In alterâ autem vitâ, quicquid est peccati, hoc penitus è corpore & animâ exstirpabitur.

VI. Nullum quidem est dubium, gratiam Dei subitò & uno momento hoc perficere & absolvere posse, etiam in hac vitâ; sed Scriptura testatur, Deum certo consilio hoc non facere, quod tamen nihil quicquam derogat efficacia gratia Dei & meriti Christi: Virtus enim Dei in infirmitate perficitur. Ac etiam si nulla nobis constaret ratio, cur Deus inchoatum renovationis beneficium in hac vitâ non velit subito perfectum & consummatum reddere, sed in magnâ infirmitate conservare, augere & tandem ad perfectionem deducere, qua in alterâ vitâ futura est, Sufficere tamen nobis deberet, quod S. Scriptura testatur, DEVM hoc modo & ordine in renatis operari.

VII. Loco itaq; Conclusionis notetur illiusdè beati Augustini: *Contra Julianum lib. 4. c. 7.* Quasi, inquit, nos negemus adiutorium Dei tantum valere, ut hodie nullas concupiscentias malas habere possimus, contra quas vel invictissime dimicemus. Et tamen non fieri nec tu negas; Cur autem non fiat, quis cognovit sensum Domini? Non tamen parum scio, cum scio, quacumq; illa causa sit, quod nec iusti DEI sit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Est igitur aliquid in ejus abdito atq; consilio, cur quandiu vivimus in hac carne mortali, sit in nobis, contra quod mens dimittet nostra: Est etiam, propter quod dicamus: Dimitte nobis debita nostra. Et ibidem paulò infra: Ideo factum est in loco infirmitatis hujus, ne superbe viveremus, & sub quotidianâ remissione peccatorum vivamus.






Ornatissimo ac Doctissimo Viro-Iuveni,
Dn. JOACHIMO FISCHERO Respondenti.

DVM labem ingenitam, malumq; primum,
Invectum Satanæ dolo, & parentum
Primorum vitio, Theses apertè
Per doctas IOACHIME das probasq; :
Dum nobis retegis latentis herbâ
Anguis sub viridi venena dira,
Tarpejæ puto bestix dolosum,
Quod fluxit Stygiâ palude, dogma :
Quis non hinc tibi gratulationes
Ferret? Quis tibi non amanter optet,
Ut pergas simili tenore, Ihovæ
A falsâ lue vindicare jura ?
Sit votum hoc, tribus & decem Phaleucis.

gratulatur

Henningus Kelpius Walsrodenſis Saxo.








vationis crescant & augeantur: Quod verò opus
augeatur, nondum est perfectum & absolutum: In
tâ, quicquid est peccati, hoc penitus è corpore e
bitur.

VI. Nullum quidem est dubium, gratiam Dei
mento hoc perficere & absolvere posse, etiam in hac
ra testatur, Deum certo consilio hoc non facere; quod
quam derogat efficacia gratia Dei & meriti Christi
in infirmitate perficitur. Ac etiam si nulla nobis
Deus inchoatum renovationis beneficium in hac
tò perfectum & consummatum reddere, sed in
conservare, augere & tandem ad perfectiorem de
terâ vitâ futura est; Sufficere tamen nobis debet
ptura testatur, DEVM hoc modo & ordina
vari.

VII. Loco itaq; Conclusionis notetur illustris locu
si, inquit, nos negemus adiutorium Dei, tantum
las concupiscentias malas habere possumus, contra
mè dimicemus. Et tamen non fieri nec tu negas;
quis cognovit sensum Domini? Non tamen parum
cunq; illa causa sit, quòd nec iusti DEI sit iniquita
tis infirmitas. Est igitur aliquid in ejus abdit
quandiu vivimus in hac carne mortali, sit in
mens dimittet nostra: Est etiam, propter quod dica
bis debita nostra. Et ibidem paulo infra: Ideo
co infirmitatis hujus, ne superbè viveremus
tidianâ remissione peccatorum
vamus.



the scale towards document

at &
n vi-
irpa-
mo-
iptu-
quic-
Dei
, cur
subi-
itate
n al-
Scri-
ope-
Qua-
Contra Julian
lib. 4. c. 7.
fiat,
que-
oren-
, cur
quod
e no-
lo..